

Q. N. 349, 12.

II c
298

IDEA
PHILOSOPHIÆ
EPICTETICÆ,

X186/210

quam
EX EPICTETI ENCHIRIDIO
delineatam

DEI ET SUPERIORUM GRATIA

PRÆSIDE
M. JOH. DAVIDE SCHWERT-
NERO, LIPS.

Placida Eruditorum disquisitioni

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

Ad diem XVII. Decembr. Anni ad finem pro-
perantis M. DC. LXXXI.

submittit

AUTOR-RESPONDENS

PAULUS ANTONIUS Z. L.



LIPSIAE,

LITERIS CHRISTIANI SCHOLVINI.

7. —

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

511.



NOBILISSIMO
FLORENTISSIMÆ ZITTAVI-
ENSIUM REIPU-
BLICÆ
SENATUI

Primitias hæc Academicas

Sacras commendatasque esse
devotè cupit

AUTOR-RESPONDENS



I. N. J.
P R Æ P A R A T I O.

I.

His in scriptio subarguit, Dissertationis futu-
ræ maximam partem fore alienorum conceptum reso-
lutivam, ut cum de proprio splendore nobis diffusi-
mus, ab externo nascatur pretium per summum inter
Stoicos Philosophum moralem. Is EPICLETUS est,
cui Hierapoli (quam urbem à Philippi Apostoli martyrio sepultu-
râque celebrem novimus) apud Phrygos nato servilis conditio in
Philosophiæ practicæ cura plus non obfuit, quam sua Anacharsi
aut Antistheni patria. Quam in rem argutum est apud Gellium l. 2.
c. 18. *Distinction* Leonidæ quidem à multis assertum:

Δὲ λ' ὀπίσθητ' γενόμεν, καὶ σώματι πρὸς.
καὶ πενίην ἱρ', καὶ φίλ' ἀθανάτοις.

Præterquã enim infirmo corpore, & ab in eunte ætate claudus erat,
servivit etiam Romæ Epaphrodito cuidam Neronis familiari seu
liberto seu corporis custodi, donec sæviente Domitiano, qui Philo-
sophos infaustos mortis suæ augures urbe pelli voluit, commigra-
ret Hierapolin, seu ut ipse apud Arrianum l. 2. c. 6. vocat, Nico-
polin, postquam ea à communi illo cum Laodiceâ & Colossis inte-
ritu sub Annum Neronis X. factò reconvaluerat. * Quamquam,
verò non desint, qui Epictetum Romam rediisse, ibique ad tempo-
ra usque Marci Antonini, vili domunculâ, in quâ nihil esset præter
lectum & culcitram, & anum in ministerio unicam, ex Svida & The-

A 2

mistio

* Fateor nonnullam esse hic difficultatem, cum Nicopoleos atq; Hierapoleos
nomen permutari apud Geographos six invenias. Interim quia Nicopolis, pro-
ut c. l. describitur à terra motibus, optimè conspirat cum historia Hierapoleos,
eundem locum esse suspicio est, donec certius fundamentum obtingat.

mistio, permansisse, scribant: Salmasius tamen in notis, rationibus non contemnendis probat contrarium. De obitu nihil habetur; undè colligitur omnia Arriani opera non extare, quibus Epicteti vitam prolixè scriptam Simplicius ait in Comment.

II. Quoniam igitur actionum moralitatem non modò subtiliter ad fictilem lucernam deduxit, ut qui Simplicio dicente, ab eius acrimoniâ non excutetur, is non nisi apud inferorum tribunalia (en ethnicissimum Styli!) corrigendus sit; sed & præceptis pondus addidit vitâ puriore, alienus ab omni fastu, solenni veterum Philosophorum morbo: is certè ævo suo ex admiratoribus invenit *Arrianum*, ac, quod mireris, *Lucianum*, cui admirandus is senex audit in *Dial.* Equidem Arrianum quod attinet, hic est, qui ex Epicteti discursibus locos maximè moventes beneque congestos, & amico Messalino (quem decimus Antonini Pii annus Consulem vidit) dedicatos ENCHIRIDII titulo, publico juri permisisse creditur.

III. Planissimè ENCHIRIDION veteris per manuale, voce Stoicis convenientissima. Solebant enim ipsi suos monere, ut eorum, quæ in scholis didicissent, summa capita sic infigerent memoriæ, ut illa semper ad manum haberent, iisque ad omnem uterentur occasionem. Hæc sunt, quæ *περίχρησα βοηθήματα* Epictetus appellat, notante *Th. Gatakero ad M. Antoninum*, qui & ipse l. 1. § 7. ex eius commentariis per Rusticum præceptorem sibi commendatis se profecisse fatetur, & ea *περίχρησα* dogmata generatim vocat *ετοιμότητας* l. 4. §. 12. l. verò 3. §. 13. Chirurgo imitandos dicit, quibus semper parata sunt artis suæ instrumenta. Hinc frequentantur in Enchiridio voces: *μύμνησο. ὑπόμνησον, περίβαλε* &c.

IV. Neque verò veteribus modò laudatus fuit libellus hic, ut in compendio ad Benjaminum Maurerium *Diss de Stud.* p. 4. loquitur *Hugo Grotius*: Sed & hodiernum celebratur à politioribus. *Lipso* si credimus, *Carolus Borromæus* sæpe fassus est, Epicteti se libris motum & monitum ad contemptum rerum humanarum, amorem divinarum venisse. Vid. *Diss. XVII.* l. 1. *Manuduct. ad Philosoph. Stoic.* p. 675. ubi paulò ante *Diss. XV.* p. 668. ita: De Senecâ & Epicteto aperto ore dixerim roseta mihi illorum scripta videri præ *Lycæi dumetis*. Enchiridion verò l. 1. *Diss. XIX.* p. 682. salutat Stoicæ Philosophiæ moralis velut animam. Ipse *Cl Salmasius Prefat. Animadversionum suarum Epicteti*

ti Enchiridion semper sibi in deliciis fuisse, non ad voluptatem tantum le-
ctiois, nec ut nuda cognitionis aviamento perfreret, sed ut seriâ mo-
rum emendatione proficeret. Utut & hyperbolica elogia non desint,
quibus parum abest quin annumerentur Jesuitæ Henrici Engelgra-
vii* verba: *Epicleti Enchiridion verè aureum est, quo Christiana
axiomata plura complexus est.* Nisi per axiomata intelligat, ut pror-
sus suspicor, conclusiones, quatenus à Stoicorum hypothesibus
præscinduntur, & à Christianis applicantur debite.

V. Cæterum conscripsit Simplicius non Tiburtianus ille &
Episcopus Romanus, sed excellens seculi sexti Philosophus Sym-
machi & Procli *σύγχρονος* limatissima in Enchiridion hoc scholia,
quorum & id singulare est, dum præceptorum connexionem sub-
inde haud infeliciter tentat. Etsi enim Simplicius Præfat. dicat,
*Epicleti doctrinam se habere ad instar præceptionum, quas ἑσθηνας Py-
thagorei dicunt: tamen illud discrimen est, quòd ἑσθηνας Pytha-
goricæ connexionem inter se carent, Epicleticæ autem, etiamsi sunt
capitibus distinctæ, serie tamen inter se utiqve coherent, ac conti-
nuationem sensûs ab uno ad alterum caput servant, judice Salma-
sio in notis p. 12. qui si Simplicianæ dispositionis examen promis-
sum dedisset, plus meruisset. Sed fat meruit, dum exquisitissimas
animadversiones 1640. edidit, non nesciens, cautè adeundum esse
hunc Commentatorem, qui non rarò Peripateticos, imò Platonicos
plus sequitur, quàm Stoicos. Nec nihil præstitit *Versio Enchiridii
Gallica cum argutis Epicleti responsis ad Imperatorem Adrianum Traja-
ni successorem ipsi familiarissimum, impressa fol. Parisiis M DC XIX.*
ubi certè multa multis obscura visa, fuere aut illustrata, aut certè
ulteriori ventilationi exposita, si vel maximè capitum Ordinatio à
disponente subierit alia, modò contracta, modò dilatata, aut pro
verbis argutioribus idiotismi Gallici facilitas substituta sit, dum
nunc Metaphrasis, nunc Paraphrasis, prout opus erat, conspicitur,
nævus interim non deficientibus.*

VI. Ac proinde quantum Enchiridion hoc philosophiæ pra-
cticæ tum in virtutibus moralibus, tum politicis conferat vitam in-
stituentibus *κτὶ Φύσιν*, pro ingenii modulo temporisque angustia
ostendere constitui IDEA brevi, quam concinna ipsius Auctoris

A 3

Me-

* *Luc. Calest. part. 1. Embl. 25. §. 2. p. 181.*

Methodus insinuavit spontè, ut qui libellum hunc apodictico* axiomaticum appellet, parum exorbitasse videatur. Quem ad modum nobis etiam impræsentiarum licebit Enchiridion hoc dispescere in partem generalem cuiusvis pronam (quæ quippe quod ex principiis dividuntibus, definitibus, & Conclusionem universalissimâ c.1.2.3. fluunt regulæ generales affectuum, operum atque opinionum usque ad c. 28.) & in partem specialem, ubi seorsum futuro Philosopho morali CONSTANTIÆ habitum introducere laborat usque ad finem. Utrobique Epictetus quædam loquitur ex ratione sui temporis; utrobique quædam saltim habent rationem consilii: utrobique subtile verborum aucupium amat. Sicubi verò omnia haud se excipient ex voto: esse id ex retentâ capitulorum serie, domesticisque principiis, noverit. L.B. Esto igitur, quod DEUS OPT. MAX. benè vertat

PARS GENERALIS
IDEÆ PHILOSOPHIÆ EPICETICÆ.

I.

c. 1.

ORditur à principiis dividuntibus: Res quædam in potestate nostrâ sunt, quædam non sunt. In nostrâ potestate sunt opinio, impetus, appetitio, averfatio & ut uno complectar verbo, quælibet nostræ actiones. Nostri arbitrii, non sunt corpus, pecunia, gloria, imperia, & uno iterum verbo ea, quæ ipsi non agimus, omnia.

1. Opinio, impetus, appetitio &c. hic sumuntur ἐκτικῶς & intrinsecè hoc sensu: principia approbandi, appetendi &c. sunt penes nos, quatenus ea separantur ab objectis, quæ forinsecus determinata

* Axioma, ut rectè iudicat Ægid. Menagius Observat. ad l. VII. Laertii, Stoicis significat omnem Enunciationem tam probabilem quàm necessariam, quæ anquàm simpliciter, in Comment. p. 292. axiômata Stoicis esse & esse vera secundum notiones communes & evidentiâ. Interim contradistinguebant axiômata κατηγορήματα (ut πλάστειν. Φεγγεῖν.) Illis ὁρμαὶ συγκαταθετι- καὶ assensum suum commodant: ad hæc feruntur ipse ὁρμαὶ πραγματικῶν Vide Salmas. in not. p. 39. 48.

ta talia semper non sunt. Ipse Arrianus l. 1. nominat *δύναμιν ὀρμη-
τικήν*, & Antoninus l. 3. §. 9. *ὑπόληπτικήν*

2. Equidem Cicero *ὀρμήν* & *ὄρεξιν* voce interpretatur appe-
titionis, quem fortasse secutus est Dn. Rachelius dicens ad *Offic. l. 1.*
p. 218. *ὀρμῶ* Stoicis esse facultatem appetentem. Verum h. l. *ὀρμή*,
est primus animi motus, quo impellitur, seu *Φορά Διανοίας ἐπὶ τι-
τῶν ἐν τῷ πρῶτῳ*. Et latissimè apud Stoicos patet hæc appellatio
etiam usque ad *πάθη*, imò bestias. Quæ verò *ὀρμή* sequitur
ὑπόληψιν, intelligitur esse hominis, fierique debet *μεθ' ὑπεξαι-
ρέσεως*. Sic ipsa *συγκατάθεσις* seu assensio vocatur à Senecâ l. 2. de
irâ c. 3. impetus (*ὀρμή*) sequens. Contrarium est *ἀφορμή*, quæ
est *Φορά τις Διανοίας ἀπὸ τινῶ τῶν ἐν τῷ Φεύγειν*.

3. Sicut igitur *ὀρμή* præcedit *ὄρεξιν*: ita *ἀφορμή* ἐκκλισιν.
Ἀφορμήν verò & *ὀρμήν* hominis *πρακτικῶ* præcedit *ὑπόληψις*:
ὑπόληψιν *φαντασία*, quæ est extrinseca, ita ut etsi per occasio-
nem aliunde ortam eliciat *ὑπόληψιν*; ipsa tamen *ὑπόληψις* tota sit
intrinsicus. Quatenus verò non discedit à phantasia, eadem fer-
me est *ὑπόληψις* cum phantasiâ, & hoc est *προσεπιδοξάζειν* (appro-
bare.) Ubi verò aliter de visione judicat, simpliciter *δοξάζει* juxta
Salmasium in not. p. 43.

4. Res igitur omnes vel sunt *ἐφ' ἡμῖν*, ἢ *ἡμέτερα*, ἢ *ἴδια c. 3.*
ἢ τὰ ὄντως ἡμῶν apud Simplicium in præfat. vel sunt *σὺν ἐφ' ἡμῖν.*
c. 1. ἀλλότρια c. 3. γινόμενα ἢ ἐμπύπνοντα c. 13. Similem Distribu-
tionem habet Ludov. Vives *Introduc. ad Sapient. n. 12. 16. 67. 75.*
214. 234. 235. 253. Sequuntur

II. Principia definitoria : Ea, quæ in potestate *c. II.*
nostrâ sunt, libera sunt naturâ suâ, nec prohiberi ab
ullo, aut impediri possunt. Quæ autem non sunt nostri
arbitrii, ea sunt infirma, servituti obnoxia, obnoxia
impedimentis, aliena.

1. Utraque hæc definitio vel descriptio petita à propriis est,
quæ constituunt differentiam. Nec reformidabit quis terminos
negativos *ἀκόλυτα*, *ἀπαρεμπόδιστα* &c. dum non sunt purè nega-
tivi quoad significata, sed excipiunt, quæ explicant terminum posi-
tivum, *ἐλευθερά φύσις*, & opponuntur alteri Definitioni.

2. For-

2. Fortè quid sint libera naturâ, subtilior quæstio est, sed quia summum bonum Epicteto est libertas, qui c. IV. ἐλευθερίαν καὶ εὐδαιμονίαν conjungit procul dubio cum hoc Stoicorum discrimine, quod ex Stobæo observavit J. Lipsius l. 2. *Manuduct. Diss. 13. p. 713.* ut εὐδαιμονίαν dicat σκοπὸν proponi, τέλος verò esse τὸ τυχεῖν τῆς εὐδαιμονίας: coll. Arrian. l. 4. c. 8. colligitur ea esse libera naturâ, quæ felicitatem hominis veteram nullâ ex parte turbant, sed perpetuam mentis constantiam servant. In Politicis liberum est id, quod proficiscitur à personâ Majestatem habente; ipsa verò Majestas in libertate civili consistit. E. in Ethicis libertas est velut Majestas moralis, quâ homo actionum suarum philosophicè Dominus est beneficio exceptionis & circumversionis, quod infra c. XX. intendit Epictetus, & verè regium Isocrates, solam verò libertatem Justinus Philosophus dixit. Conformia sunt Catonis (qui & ipse Stoam secutus est) apud Tull. 3. *id. fin.* verba: sapiens rectè appellabitur solus liber. Et Horatii Ep. I, 1.

Sapiens uno minor est Jove, dives,

LIBER, honoratus, pulcher, Rex denique regum.

Hinc & Zeno Sophocleum illud:

Quisquis Tyranni scilicet intrat in domum,

Fit servus ejus, etsi liber venerit.

Sic correxit: Non servus ille fit, si liber venerit. Vid. Plutarch. de Aud. Poët. p. 105. Voluntatis latro nullus est, inquit Epictetus apud M. Antoninum l. X. §. 36. Plura apud Lips. l. 3. *Manuduct. Diss. 12. 13.*

3. Inde nascitur quæstio: An Stoici voluerint omnimodè eradicari affectus in se? Ego non credo, inquit Heereboord, ullum Stoicorum contra tum sensum communem, tum experientiam ita infanivisse, ut affectus omnes sustulerit, solusque non viderit, quod omnes & vident & sentiunt *Disp. XII. Coll. Ethic. Th. V. p. 55.* Nam & Antoninus Imperator expressè professus est; Philosophiam affectus non tollere. Et Seneca Ep. 71. *Non educo sapientem ex hominum numero, nec dolores ab illo, sicut ab aliquâ rupe nullum sensum admittente submoveo.* Sanè Epictetus, qui & l. 2. c. XX. in Academicos invehitur sensus abjicere; studentes, licet duriter quandoque loquatur, quod suo loco notabimus, & ipse ab hoc crimine absolvi potest.

Nam

Nam materiam affectuum h. e. ἐνέργειαν desiderandi, averfandi adhuc informem fatetur esse penes hominem, & conſequenter naturâ liberam & vetat tantum affectus eos cum incitato motu transferre ad res extra ſe poſitas. E. abolet non ipſos affectus in ſe, ſed affectuum captivitatem, ſeu ut ipſe ait, ſervitutem. Huc facit, quod is ipſe c. LXXII. monet ſolicite obſervare ſemetipſum, tanquam hoſtem & inſidiatorem. Quid verò ἀπαθεία ipſis ſignificet, vide ad Th. VII.

III. Concluſio univerſaliſſima bimembris eſt: c. III.

Ne putes aut velis penes te eſſe, quæ ſunt extra te

Sic enim impedieris, lugebis, impatiens eris.

Id exiſtima tuum, quod eſt tuum: & alienum, quod eſt tale.

Sic enim liber eris & felix.

Verbotenus fermè repetiit *M. Antoninus l. VI. §. 41.* Et ſunt omnino hæc δόξα κερύαι, ambitusque & ultima analyſis totius Philoſophiæ moraliſ. Nam prout ſe habet ἐπιληψις & ὀρεξις in Deliberatione, & Electione (quæ quidem actionum terminative talium, Principia non ſunt, ut è Peripateticis multi ſtatuunt contra mentem Ariſtoteliſ, qui *l. 3. Nicom. c. 1.* ſaltim beneficio horum vocabulorum volebat habitus electivi Naturam explanare, ſunt tamen horum principiorum modi, ceu Becmannus vocat *Parall. Diff. Th. 2. p. 2.*) & prout rectè vel malè egrediuntur ad objecta extra hominem poſita, in tantum homo eſt infelix & beatus.

IV. Inde fluunt Regulæ generales affectuum, operum atque opinionum. c. IV.

(1.) Aſſumitur hæc diſtributio, ne turbetur Epicteti circulus & quamquam coincidere videantur opinio & affectus, differunt tamen ut cauſa & effectus, movens & motus, aut ſi cui opinio etiam videatur motus, motus erit non niſi primo-primus relatus ad affectum. Vide *Th. 1.*

(2.) Quatuor verò Stoicis ſunt genericæ ac præcipuæ perturbationes: Ἐπιθυμία. φόβος. λύπη. ἡδονή. Cupiditas. metus. ægritudo. lætitia. Ex his duas volunt antecedere, cupiditatem & metum. Illam ex opinione natam boni alicujus futuri, quod ſpeciem hanc

B

præ

præ se fert. Duas reliquas, lætitiã & ægritudinem, subsequi & ἡδονῆν, illam in bono, hanc in malo jam præfente. Ideo ἡδονῆν vocabant ἡδονήματα adeptionis illius boni, arguentes eos, qui putabant, primam & naturalem animalis ὁρμὴν ipsum πρὸς ἡδονῆν impellere juxta Salmasium in notis p. 53. Sunt igitur

Regulæ affectuum.

c. IV.

¶ Quæ tua sunt, appetere serio & ardentem.

(1.) Iste ardor removet impedimenta duplicis generis. Alia enim sunt planè abjicienda ex animo, ut avaritia, superbia, & omnia ea, quæ destruunt τὸ esse bonitatis moralis, alia sunt ad præfens differenda, ut nuptiæ in tirone, existimationis cura, & ea, quæ sunt contra τὸ bene esse moralitatis, ejusque Δυσέσεως.

(2.) Relinquitur tamen junioribus aliqua veræ gloriæ ambitio, quæ minus ex solo boni amore, quàm affectuum sordidorum odio eminens salutatur virtutis limen. Digna lectu sunt verba Simplicii in *Comment. Utilis est ad affectuum, qui in nobis vigent, correctionem ambitio*. Unde extrema tunica perturbationum ambitio dicitur, quòd reliquis perturbationibus ipsâ adjutrice exutus animus hanc postremam exuit, ut tandem ad ipsum bonum nudus perveniat.

c. V.

¶ Vide verò, an reapse sint tua.

(1.) Regula hæc visionibus opponitur, per quas (Φαντασίαι) intelliguntur species seu imagines rerum objectarum, quo ferè sensu eadem vox apud Philosophum venit l. 3. de *Moribus* c. 7. Est enim Φαντασία τύπωσις ἐν ψυχῇ, ut definitur in Sexto Empirico *adv. Logic.* l. 1. c. 2. Plutarcho *de comm. notit.* c. 41. Aristotele *de memor.* c. 1. Ab hac differt Φάντασμα (visum), quod est mentis suspicio, qualis obicitur in somnis. Laërt. l. VII. f. 176.

(2.) Jam si visionum tuarum materia sint res alienæ, dic: nihil ad me h. e. ut Autor Philosophiæ moralis Stoicorum Parisiis 1619. simul excusæ Gallicam propinat paraphrasin, *ce n'est ny mon mal, ny mon bien: par consequent je ne dois ny le chercher, ny le fuir, mais selon qu'il, m'arrivera, m'y accommoder, & l'appliquer au meilleur usage, qui puisse être.*

(3.) Cæterum præter visiones εὐλόγας seu probabiles, ut

Sphæro

Sphæro dictæ sunt apud Laërtium l. 7. in eius vitâ f. 207. sunt Φαντασίαι κατὰληπτικαί. Omnia enim ἀκατάληπτα esse, nemo Stoicorum dicit cum Scepticis, quos exagitat Epictetus l. 1. c. 5. l. 2. c. 20. Ejusmodi visorum comprehensionem eandem cum συγκατάθεσι, judice Salmasio in notis p. 39. volebant Stoici. Inde est ἀπερπνωσία seu scientia, quâ quis novit, quando assensum adhibere vel inhibere debeat, ut definit Zeno apud Laërtium l. 7. Effectus est συγκατάθεσις ἀπερπνωτικῆ, quæ inter nervos Philosophi numeratur à nostro l. 2. c. 8. ubi notamus ex Gatakeri Comment. ad Antonem. p. 112. tria ista τὸ ἀπερπνωτικόν, τὸ ἀδιάπρωτον, τὸ ἀπερίπρωτον ita à Stoicis fuisse distincta, ut illud ad ὑπόληψιν, istud ad πρᾶξιν, hoc ad πείσιν referrent, dum sapientem nec falli, nec labi, nec ledi posse contenderent.

¶ Appete & spera, quæ tua sunt, ne fias ἀτυχής.

c. VI.

Aversare, quæ potes ne fias δυστυχής.

(1.) Argutè distinguit Epictetus inter eum, qui ἀτυχής est negativè, qui id non capit, quod vult, & qui δυστυχής est positivè, capiens, quæ non vult. Sicut veteres Epicurei distinxere inter voluptatem in statu seu ἀταραξίαν, & inter voluptatem in motu, quarum illa saltem negat dolorem: hæc simul quid hilaritatis ponit, exponente Rob. Scharrockio in Ἐπιπέσει ἠθικῇ l. 1. n. 4. p. 6-9.

(2.) Accidit igitur, ut pro re natâ appetitio nos frustretur eventu sperato. Sed dicis: Aut spes est penes nos, aut non est appetitio. Sed est appetitio E. est penes nos. Respondeo: Est penes nos spei facultas, prout est ἀγάλογον τῆς ὀρέξεως: non tamen spei determinatæ eventus seu objectum. Deinde Propositio ista: Spes est appetitio, simpliciter capiunda non est, quandoquidem appetitionem saltim comitatur spes, & viceversa, quia spes est cum Phantasiâ salutarium, ut loquitur Stagiritæ Rhetor. l. 2. c. 5. De averfatione idem judicium.

¶ Appete & averfate prudenter.

c. VII.

(1.) Aliàs dubiæ conscientiæ regula est: quando in ancipiti hæret judicium, bonum quid sit an malum, actio erit suspendenda. Dn. Puffend. de Offic. l. 1. c. 1. §. 6. p. 3. At præsentis consilii prophylactici sensus est: Ab initio non ad summum extendatur propensio & averfio, sed laxandus non nihil est uterque animi motus, quia non-

dum es affectus, quatenus tua rectè possint expeti (aut declinari.)
Verbo: *Vult ἐπέχειν ad tempus, donec mensura appetendi & averfandi
liquidius homini constet.* Quod non contradicit capiti IV. ubi jube-
bat incitato ardore appeti nostra. Ibi enim privare volebat Epictetus
hominem amplexu bonorum externorum, quæ proficiendi viam
intercludere possent: hic ponit regulam cautionis, ne quis in limi-
ne transfiliat limites. Illic est medela defectus, ne opineris philoso-
phandum duntaxat, cum vacat, ut ait Seneca Ep. 72. hic medela ex-
cessus. Nam sapiens ad omnia NB. cum exceptione veniet, juxta eun-
dem de benefic. l. 4. c. 34.

(2.) Cæterum c. VI. VII. imò LXXII. averfationis regula
obscuriusculè legitur: *μόνα ἐκκλίνας τὰ ὀρθὰ φύσιν τῶν ἐπι σοι.*
Sed longè utilissima h. l. est Salmastii p. 56. observatio: *Stoicis τὸ ἀ-
λογον & τὸ ὀρθὰ φύσιν idem ferme est.* "Αλογον verò ipsis non est, quod
rationis prorsus expers est, sed quod rationi non obtemperat. Fortè igitur
res expeditur ita: Nihil tibi simul malum, & per consequens, nihil
averferis, nisi quod è diametro pugnat cum libertate tuâ, aut ratio-
ne, aut sapiendi instituto. Reliqua despicias magis, quàm averfa-
beris, ut quæ non digna sint, quæ rationem tuam vel tantillum mo-
veant. e. g. Mors quia non est ὀρθὰ φύσιν, non est averfanda. In-
de in solatium jacturæ cujusdam velut aliquod Corollarium sub-
jungit Autor.

c. VIII.

¶ Si quâ re amatâ excidis, considera quanti sit.
Res per se clara, & illustrata in textu est exemplis, quorum occa-
sionem habet Baconus de Verulamio l. 1. de Augm. Scient. f. 34. Ni-
si quod distingvendum est inter *pretia rerum* vel *personarum in se, &*
ad te relata. Nulla jactura, quæ prohiberi non potuit à te, tanti est,
ut cum libertate seu serenitate tuâ consistat in æquilibrio. O quan-
tum amiserat Joh. Friedericus Saxo fidelis ille Christi athleta, sed:
Nemo, inquebat, debet angri ob ea, quæ non sunt in potestate. Sapientiæ
præceptis qui se munit, is victor est. Thuanus Hist. l. 4. p. 73. Ani-
mosiot, quàm Emanuel Lusitaniæ Rex, qui quòd nauclerum per-
diderat, per triduum non prodiit, referente Lansio *Consult. contra
Hisp. p. 419.*

c. IX.

V. Regulas operum in compendio habet c. IX. Si

Si quod opus suscipere aggredieris 1. refer omnia ad institutum tuum 2. concipe tibi ejus incommoda, ut si forte obveniant, jam paratus sis ac munitus.

1. Quod prius attinet, institutum illud debet esse κτ̄ Φύσιν. Quid sit illud, disquiri meretur. Nimirum omne institutum ad aliud, quatenus significat intentionem completam, quam eleganter deducit R. Sanderson *de Consc. Præl. 2. §. 11. p. 52. sq.* est cum fine per media, quia ἡ φύσις ἐσὶ χάσασαι ἐκάσθ' Antonino sic differente l. 8. §. 20. Media verò, quia sunt κενόρμηον consultationis, sunt de iis, quæ per homines agi possunt. Finis postmodum alius communis est, alius peculiaris, ut juxta illum quis agat ut homo, juxta hunc vel ut Orator, vel ut Consul, vel ut Studiosus, &c. E. institutum naturæ impræsentiarum est intentio sive ultima illa analysis nihil putandi suam, quod non est, juxta caput III. Si quæ idem etsi παραίρεσις & πράξις sunt species ὁρηῆς πρακτικῆς: tamen in eo segregantur, quòd ἕξις ὁρητικῆ etiam in malo; ἕξις παραίρετικῆ verò nunquam nisi in bono sit apud Stoicos, quod observat Salmasius in notis p. 46. Neque hoc modò sed & quòd, quæ κτ̄ Φύσιν fiunt & aguntur, eadem dici possint κτ̄ τὴν ὁρηῆν fieri & agi. Quæ verò est ὁρηῆ in animalibus rationis expertibus, id esse in hominibus rationem. Ideò secundum rationem vivere hoc illis est idem ac secundum naturam. Inde Zenoni τὸ τέλος hominis definitur per τὸ ὁμολογῆσαι τῆ φύσιν ζῆν. Et sicut λόγος in homine semper intelligitur ὁρθὸς λόγος: ita se habet cum φύσιν hominis. Et qui κτ̄ Φύσιν ἢ λόγον vivit, vivit κτ̄ τὴν ἀρετὴν, unumque & idem ipsis est Dei, naturæ, rationis dicta sequi. Testimonia collegit Lipsius l. 2. *Mannuduct. Diss. 14. 15. 18.* & Gatakerus in *Anton. p. 16. §. 136.* Institutum ergò est virtus & connexè libertas. Utpote liber est, cui eveniunt omnia κτ̄ παραίρεσιν Arrianus l. 1. c. 12. Nemo autem ritè tuebitur istam παραίρεσιν naturæ congruam, qui agrè fert supervenientia operis incommoda.

2. Huc omninò referenda est distinctio inter mala μεμετηρημένα seu multo ante prævisa (quod vult Epictetus h. l. & Seneca Ep. XXIV. Si vis omnem sollicitudinem exuere, quicquid vereris ne eveniat, eventurum utique propone, & quodcunque illud est

αὐτῶν

B 3

ma-

malum, tecum ipse NB. metire) & ἀμέτρητον seu improvifa, quæ plus fuerint.

VI. Quia verò plus semper est, quod opinio adjicit, quàm quod natura imperitat, dum sua quemque credulitas decipit (verba sunt Senecæ ad Marciam c. 7. & ad Polyb. c. 29.) Epictetus maximam Philosophiæ partem Stoicorum more instruxit ex opiniorum sedulâ correctione & imperio. Ut distinctius procedamus, liceat opiniones actionibus prævias distribuere in interiores vel exteriores, five de rebus concipiantur primario, five de personis.

VII. Opiniones interiores sunt de iis, quæ nos potissimum attingunt. Has dirigit regula generalis:

RATIO DOMINETUR, NON OPINIO.

c. X.

I. Quia homines perturbantur non rebus, sed iis, quas de rebus habent, opinionibus. Confer Vivetis *Introduct. n. 229.* Perturbationis vocabulum apud Stoicos non nudè denotat affectûs, sed illorum exorbitantiam, quod *l. 1. Offic. Cic.* benè observat Dn. Rachelius *p. 71. sive ut p. 182.* accuratius loquitur, notat affectuum hyperbolen five ellipsin. Unde patet primò, quòd vocabulum ἀπαθείας (c. XXVI.) non significet *affectuum in se abolitionem, sed tranquillitatem ἀπάθειαι, h. e. falsò approbatis animi commotionibus.* Id enim illis notat vox hæc, ut ipse Heiderus fatetur *Philos. Moral. part. 2. p. 393.* siquidem M. Antoninus *l. 1. §. 9. Sextum Cheronensem* laudat, quod fuerit ἀπαθείαι καὶ φιλοσοφία. Deinde παθή Chrysippo quidem sunt ipse κρείσεις, sed Zeno sanxit perturbationes esse potius τὰ ἐπιγνώμωνα κρείσει, suffragante etiam Galeno, quod ante Menagium *Observ. in l. 7. Laërtii f. 177.* observavit Salmasius *p. 42. 53. 59. 67. 69.* Cum Zenone verò facere Epictetum astruit *p. 114.* & textus præsens. Nam si affectus ipsa opinio est, non poterit definiri causa affectûs, quam tamen tradit. Sed movet difficultatem Salmasius, & miratur, quomodo ὑπόληψις dici possit esse penes nos, cum tamen omne πάθος sit βίαικόν & voluntati vim faciat? At perturbationes ipsa esse judicia, pessimam sententiam vocat Salmasius

fius

sus p.60. Judicium verò ac opinio præcedens est ἐφ' ἡμῶν: & πάλ-
 90 tnm demum cogit Voluntatem, quando judicium forinsecus
 evagatur. e.g. In potestate eqvitis est eqvum aut stabulo emittere,
 aut non emittere. Ubi verò emisit & infedit, non rarò eqves eo
 rapitur ab eqvo, qvo minimè destinarat: Ita cum visiones animo
 incidunt, tuum est assentiri, & non &c.

2. Igitur ratio sequenti capite vocatur *usus visorum*. Visis au-
 tem rectè uti, quid est aliud, quàm de *rebus omnibus rectè judicare*,
 & *rationi parere, non affectui*, inquit, Seneanus cum Wolfio ex Arria-
 no l. 1. c. XI. & l. 3. c. 22. quorsum facit, quòd juxta Laërtium l. 7.
 f. 175. Stoicis ἀματαιότης est habitus visiones ad rectam rationem
 provocans.

VIII. Rationis verò mandata hæc sunt:

- ⚠ Ne efferaris ob præstantiam ejus, quod tuum c. XI.
 non est.
- ☐ Nunquam recede longius ab instituto vitæ. c. XII.
- ⚡ Quæ non sunt penes te, fieri velis ut fiunt. c. XIII.
- ⚡ Omnibus visis suam oppone virtutem. c. XIV.
- ☐ Nihil te perdidisse puta, sed reddidisse. c. XV.
- ⚡ Ne esto nimis sollicitus de te c. 16. five damnus. c. XVI.
 c. 17. five contemptum patiaris 18. XVII.
- ⚡ Neque de tuis nimium sis sollicitus, c. 19. cum di- XVIII.
 spendio libertatis, c. 20. XIX. XX.
- ☐ Bona verò vitæ externa modestè capito. XXI.

Μετὰ λαβὴ in Græco: ubi iterum cum Rachelio ad 2. Offic. p.
 271. & Heidero *Philosoph. Mor. Part. 1. p. 332.* phrasin Stoicam obser-
 vamus, qui bona externa non dicebant se expetere, sed legere, nec
 optare, sed sumere. *Vide Enchirid. c. XXXI. XLVII. LVIII.* Scilicet
 Peripateticos inter & Stoicos agitata olim fuit controversia, an bo-
 na externa requirantur ad summum bonum? Illi quæquam sibi
 sufficientiam agnoscebant pro affectione summi boni: tamen sani-
 tatem, divitias &c. vocabant summi boni instrumenta, quibus fe-
 licitas indigere videretur, juxta Aristot. 1. Nicom. c. 9. p. 13. Hi ne-
 gabant, quia finis uniuscujusque rei reipsa sit bonum & contra.

Non

Non verò sanitatem aut divitias esse hominis finem. E. nec bonum. Urgentibus Peripateticis: hæc bona uti sint necessaria ad acquisitionem boni principalis, ita simul haberi debere ut bona. Responderunt: male & prorsus improprie id vocari bonum, quod inserviat acqvirendo bono, vel sit materia boni. Quid? quod ipsis nihil vitium sit bonum, *quo quis & male uti possit*, ut proficetur Seneca Ep. CX. Deinde bonum ejusmodi esse oportet, *quo considerare quis possit* juxta Arrian. l. 2. c. X. quod impediri non possit c. 2. Enchir. quod habentem faciat bonum. Antonin. l. 8. §. 1. ubi Gatakerus in notis allegat scitum Augustini locum: *Omnia ista (bona externa) bona sunt, sed unde facias bene, non quæ te faciant bonum. habeto bona, quæ te faciunt bonum.* Sed si rem utrinque putes, existimantur saltem dissentire. Sicut enim Peripatetici summum bonum non constituunt in *act. omnibus nudis, sed cum habitu*: ita Stoici habitum non agnovere, nisi *qui perficeretur ab ipsa operatione.* Sic utrique negant, bona externa pertinere essentialiter ad summum bonum animi ut sic, ut ut ex utraque parte in contentiones abreptâ verbis excesserint. Quod videre est præter XVI. caput capite hoc XXI. ubi *qui bona hujusmodi oblata despexerit, Dei convivam imperiique consortem* proclamat Epictetus, modestior capp. XII. & XIII. ubi negat, bonorum talium absentiam impedire institutum animi, sed quo plura majoraque sint impedimenta corporis, eò magis appetitum contrahendum, paucioraque suscipienda esse consequenter infert.

IX. Opinibus interioribus contradistingvimus opiniones exteriores, quas ratione termini sic fovemus de personis vel rebus extra nos. Harum Regulæ sunt:

c. XXII.

¶ Urgentibus congemisce quidem, sed sine perturbatione, *quoniam non causa sed ipse dolens dolendus est, quem opinio affligit, non casus.*

i. Hoc est inter dicta catachrestica, ex quibus arguunt multi, misericordiam in se Soicis esse vitium, sicut *Agessilaus* dixit: *Difficile est simul misereri & sapere.* Quorsum pertinet locus Senecæ l. 2. de Clem. *Misericordia est vicina miserie, habet enim aliquid, trahitque*

ex

ex eâ. Imbecilles oculos esse scias, qui ad aliam lippitudinem & ipsi suffunduntur. Sed c. 5. sq. mitigare duritiem aggreditur.

2. Mollius certè est *Catuli Maximique* monitum ad *M. Antoninum*, quod ipse refert l. 1. §. 13. 15. imò docet l. 2. §. 11. l. 7. §. 26. reassumens nihilominus eandem *Aristophanis* duritiem l. 7. §. 43. Vide omninò *Gatakeri Adnot. p. 28. 29. 70.* Cæterum ipse *Epicetius* l. 1. c. 18. non abhorret à voce ἐλαείν.

☞ Quavis conditione acquiescendum.

c. XXIII.

Aliàs eris ἀλαζων: ἀλαζονείαν verò rectè definit *Theophrastus* in *character. n. 23.* quod sit πρῆξις (opinatio) τινῶν ἀγαθῶν ὅκ ὄντων. Vide *Menagium Observ. ad Laërt. l. VII. f. 177.*

☞ Portenta te non commoveant,

c. XXIV.

☞ Suscipe viribus paria,

c. XXV.

☞ Aliorum fortuna te non commoveat.

c. XXVI.

☞ Nec aliorum convitia.

c. XXVII.

☞ Mortem & labilitatem tuam semper cogita.

c. XXVIII.

1. Multis olim Philosophiam audiisse meditationem mortis, notum est, sed an intelligenda sit cum *Psello* mors moralis, h. e. affectuum mortificatio, & consequenter mundanarum voluptatum repudiatio, ut explicat *Meisnerus part. 1. Philos. sobr. Proæm. p. 11.* an verò mortis physicae sedula recordatio sive moriendi consuetudo (τελειότης τῆς ἐθῆς) quod placet *G. Hornio Hist. Philos. l. 1. c. 1. p. 4.* utrinque propter aliquos dubitatur. *Epicetius* fanè loquitur propriè, ita ut meditatio mortis naturalis gignere dicatur mortem affectuum, ac adeo digna Christianis est hæc consiliatrix sententia, quam & inter *Nili* Admonitiones duobus abhinc annis denuò à *Dn. Weisio* editas n. 180. reperimus, tanquam Philosophiæ Christianæ characterem.

2. Numverò huic Regulæ *Epicetius* simul superstruxerit ἀυτοχειρίαν, quod proprium Stoicorum dogma vocare non dubitat *Hornius Hist. Philos. l. 4. c. 2. p. 230.* per *Enchiridion* nemo prehenderit. Contrariam mentem sistit *Stobæus* in *collectaneis* *Epicetii*, quem ita loquentem facit: *Deo me parere oportet, eâque de causâ non recusò manere in vitâ & miserum hoc corpusculum lavare, pascere, tegere.* Et *Arrianus* l. 1. c. 1. *Cum hora aderit, tum statim moriar.*

ut cum decet, qui restituit aliena & c. 9. Homines, Deum expectate (iisdem ferè verbis cum Antonino l. 5. §. 10. quod est Senecæ contradixisse.) cum Ille significavit, & vobis muneris istius (gestandi corporis molesti) vacationem dederit, tunc ad eum revertimini. Nunc verò equo animo tuemini stationem istam vobis ab eo attributam.

PARS SPECIALIS.

I. Hactenus pleraque præcepta fuere hominis, qui sine communi res agit: nunc, quod & in rem nostram observavit Simplicius, convertitur Autor ad eum, qui aliquantum profecit, ac adeo multam actionum suarum partem referre debet ad finem peculiarem, acturus tanquam Philosophus.

II. Fatendum interim est, multa hic repeti, quæ dicta fuerunt supra, quod ipsum nobis commentandi ferias passim faciet. Ast fastidiosum id nemini fuerit, quoniam repetitio fit cum rationibus noviter illustratis, in rebus cum appetitu sensitivo & communibus visis maxime pugnantis, h. e. necessariis, & ideò pars specialis est, quòd in genere monita subtiliter applicantur, continuo ad universalia principia recursum; quod moris genus rara hujus agri seges est.

III. Igitur pressius loquendo eo usque disposuit Epictetus tironem, ut quatenus rectè expetere vel averlari queat, (c. VII.) perdidicerit. Nunc ipsi commendat *ἁπλοῦς* sive CONSTANTIAM, quâ quis in statione suâ (vide c. XXX.) persistit ad quemvis paratus calum. Quid quòd hæc animi firmitas est adjunctum sive modus virtutis in genere, ut accuratè loquitur Becmannus *Diss. parell. 1. p. 2.* quorsum respicit Autor Gallicus Philosophiæ Stoicæ supra laudatus, virtutem definiens per *firmam dispositionem nostræ voluntatis sequendi honestum & conveniens.* Et quemadmodum hic virtutum numerus numerans formaliter non occurrit, sed potius una, si loqui sic licet, virtus generalis est, prout ago naturæ convenienter per temperantiam, patientiam: ita requiritur, ut firmè con-

stanter

stante temperans, constanter patiens in ordine visorum & actionum &c. *repete c. XIV.* Dicis: *At virtus non in habitu consistit, sed in operatione:* Respondeo: Habitus est vel *purè quiescens*, qualis virtus non est, vel *ἐνεργητικός*, qui sapius operatio interna est, qualis suo tempore sufficit ad summum animi bonum, quia id continuum, quiddam est. Quod autem continuum esset, si operatio externa semper requireretur. Et hanc non excludunt Zenonii, sed magis ac aliarum sectarum Philosophi praxin urgent, de quo supra *ad c. XXI.* & *omnino c. LXXVI. infra*, ut Stoicos virtutem in habitu constituisse eo sensu, quem communiter ipsis tribuimus, non unus ex ipsis Aristotelicis neget. Sane ab Epicteto aliena non est hæc Propositio: *Virtus consistit in actione.* Cur? quia prudentia ritè tractandi res suas, pro objecto habet actiones suas. juxta *c. i.* hoc est, stylo Aristotelico *ἐνεργείας*. Ne verò istas animi actiones opinio vel affectus aliquis enervet in futuram actionum externarum internarumque necem, ducenda mens est ad Constantiam.

IV. Dum verò Constantia debet consistere indivulsa, relinquere simul tanquam terminum à quo cogitur ea, quæ instituto ac mentis rectitudini nocent, inde constantiam dirigent Regulæ duplicis generis. Aliæ arma velut *φυλακτήρια* suppeditabunt adversus asperiora visa, quas regulas dicere liceat obfirmativas. Aliæ confirmativæ arma velut *ἀμυντήρια* suppeditabunt persequendi institutum.

V. Constantiam obfirmat Regularum bigarum quoad finem peculiarem, tum communem. De fine peculiari: *Persta in studio Philosophiæ.*

⊖ Contra ridentium insultus. Nam 1. es in statione tuâ collocatus. 2. tibi in virtutis conscientia sufficis. *c. XXIX.*
c. XXX.

⊕ Contra *ἀπμίαν*. 1. Honor enim est extra te. 2. Neque propter honorem philosopharis. *c. XXXI.*
c. XXXII.

Nam, inquit, si honore carere malum est; nihilo magis per alium in malo esse potes, quam in turpitudine. Argumentum hoc est ab impossi-

possibili: Quàm impossibile est, ut sis in turpitudine per alium
 tam impossibile est in malo esse per alium. Ratio connexionis est
 Stoicorum hypothesis, sola vitia esse malum & nihil malum esse,
 nisi quod sit turpe. Seneca *Ep.* 71. 76. 20. *de Constant.* c. 5. Cicero *Para-*
dox. 1. Antoninus *l.* 2. §. 1. 10. & *l.* 4. §. 39. In alterius mente malum
 tuum non est situm. *Coll.* *l.* 11. §. 18. *septimo.* & *l.* 8. §. 1. Vide *Simpli-*
cium in Commentario. E. si alius te non honorat, quid vitii inde ad
 te jure derivatur? Ignominia est non-honorantis, qui malè sentien-
 do calamitosus fit.

VI. Ut quis consistat in fine communi, iterum
 duæ sunt regulæ obfirmantes:

c. XXXIII. \aleph Idem judica de te, tuoque viso, quod de alterius
 conditione eras judicaturus.

1. Sint centum homines egeni, tu semper mollius judicabis de
 illorum miseriâ, quàm si & tu pauxillum egeas. Sic semper levi-
 tas est in notionibus singularibus, quæ tu vel à sensu decepto, aut
 appetitu bruto, aut à ratione non satis exploratâ accepisti: constan-
 tia verò est in notionibus communibus per rectam rationem lon-
 go tempore exploratis, differente ita *Simplicio*, qui in & *Arriano l.*
c. 22. *l.* 3. *c.* 26. Idem desiderabat *Eliphaz in Hiobo c.* IV. 35.

c. XXXIV. \beth Considera turpitudinem ex actione ἀφιλοσοφία
 resultaturam.

repet. c.

XIV.

c. XXXV.

XXXVI.

Actionum autem ἀφιλοσοφία sive ut Stoici amant loqui,
 ἀλογία est (1) ex cujusque rei antecessionibus & consecutionibus
 non expensis, (2) ex neglecto virium tuarum æstimo. Vitium est
 in deliberatione & electione. Illic ignavia, hic temeritas

VII. Alterius generis regulæ constantiam ite-
 rum confirmant tum quoad finem communem, ubi
 Philosophus agit ut homo: tum quoad finem pecu-
 liarem, ubi Philosophus agit, ut Philosophus. Nec
 diffitemur, membra hæc in textu esse dispersa, ut nobis
 capitum seriem tenentibus non licuerit servare ordi-
 nem distinctorum. Interim conquisitu facilia sunt om-
 nia ob Regularum se excipientium rara interstitia.

VIII.

VIII. Primo loco se offerunt Regulæ Pietatis latius acceptæ, quatenus ea se extendit ad Deum atque homines.

¶ Omnia officia mutuis affectionibus & tuo merito debito, quid ab altero fiat, secernens. c. XXXVII

Omnis affectio seu *ἄρεσις* hujus generis aut est naturalis inter Patrem Filium &c. aut imposita inter Dominum & servum, sic distingvente Epicteto apud Arrianum *l. 2. c. 14. l. 3. c. 2. 20. & l. 4. c. 8.* Et est necessitudo & obligatio, quæ quævis aliis, cum quibus in societate vivit, pro cujusque societatis natura ac fine est obstrictus, certamque bonorum & officiorum communionem iis debet.

□ Piè senti de Deo, nec ipsi obloquere. c. XXXIX

2. Hic tanquam in nuce videas Religionis naturalis capita, ut Autor vocat, *κρυπτὰ*. Senti (1.) esse Deum (2.) benè justeque administrare omnia (supponit sine dubio creationem mundi, quæ ut est nuda productio Entis ex nihilo negativo, lumine naturæ certo cognoscibilis est non solum quoad posse, sed & quoad factum esse) 3. parendum ipsi esse & acquiescendum in voluntate Dei, quæ sit sapientissima, unde Deum eleganter vocat *Γνώμην ἀρίστην* h. e. Consiliarium optimum, qui cognoscat omnia optimè. Per nos verò re salvâ licebit per *γνώμην* solum abstractum h. e. sententiam seu decretum intelligere. Alioquin infreqventes non sunt apud Ethnicos Dei definitiones abstractivis vocibus conceptæ. Ut enim unica sufficiat, Deum seu Platoni seu Speüsippo esse *mentem æternam*, quis ignorat?

2. Cæterum quæris, quomodo hoc Pietatis monitum conveniat cum universali Conclusionem capitis III? Respondet ipse Epictetus in præsentem, & tetigit in ipso c. III. quod calculo suo firmat M. Antoninus *l. 12. §. 1. Ad pietatis normam omnia direxeris, dum quicquid destinatur tibi, deliges.* Si enim non credatur Deus, qui justè administrat & distribuat omnia: nunquam forte mea constanter sum acquieturus, sed mala & bona mea collocabo in externis bonis. Cur enim mihi non debere aut licere eodem jure censeam ea, quæ alter habet vel agit? Appetam igitur. Sed sæpe spes me mea frustrabitur, & in id, quod aversor, incidam. Quid tum? Mærebo, luge-

lugebo, in nihilum ruet tranquillitas mea. Sed si Deum credo esse
iustum Oeconomum, credo quæ mihi Numen dedit, esse ad felici-
tatem institutumque sufficientia. Si dat opes, liberos, robur, ho-
norem, pulchritudinem &c. sumo; si minus dat, quiesco: si eri-
pit rursus, lubenter reddo, & gratias, quod tamdiu concessit, ago.
Deus mihi dedit me: ideo nihil appeto vel averfor, nisi quod est
in me & contra me. Si nego, Deum esse: non vecors, sed & miser
sum: Si nego, Deum curare res humanas, miserior. Dicis: Curat
Deus mundum totum, sed non te. Sed ô quam leve hoc solatium!
Pompejus cum prælio Pharsalico A. U. C. 706. à Julio Cæsare vi-
ctus Mitylenen fugisset, disputabat ibi cum Cratippo, An provi-
dentia sit, cum in causa meliore succubisset? Respondet Philo-
sophus; jam converti Remp. Romanam in Monarchiam; referente
B. Kremayero *Hist. Eccl. f. 27.* quasi vellet Cratippus distingvere
inter providentiam universalem, quâ Deus provideat toti Impe-
rio Romano, & particularem, cujus objectum sit hæc vel illa, vel
Pompeji persona. Velle Deum per Pompeji casum prospicere,
Romanis de Monarchiâ. Verum quid hæc responsio ad tranqvil-
landum dubitantis animum contulerit, omnes vident. Rectius
dixisset vel negandam Pompeji Minorem, quod ipsius exemplo
iusta causa fuerit oppressa. Ubi enim unquam bonitas causæ talis
perfecta fuit circumstantialiter, ut causæ non accesserit vitium ali-
quod ex persona vel adjunctis, vel præcipitancia &c. ni putasset
Pompejus, victoriam esse in potestate suâ, certè Deum non accusas-
set ob contrarium eventum. Vel prævidisse Deum, quàm malè
usus fuisset victoriâ. Repetiisse igitur nunc Deum à se felicitatem
istam, nec referre suâ, per quem aut quomodo repetierit (vi-
de c. XV.) Deinde invertitur hæc Distinctio, quatenus à positione
providentiæ universalis procedit ad negationem providentiæ
particularis. Si Deus curat totum mundum. E. & me curat, qui
sum pars mundi, civisque mundanus juxta Epictetum *Diff. l. 2. c. 10.*
plura congerente Gatakero *Annot. ad Art. p. 113.* Qualis Medicus est,
qui totum corpus curat, ut tamen sit aliquod corporis membrum,
quod non curet? Quod si verò aliquod visum asperius obve-
niat, monent Stoici, & inter eos copiosissimè M. Antoninus, partem
mundi se obsequiosè componere debere ad mundi communitatem.

tem. Et si membrum in corpore velit esse alterius membrum, ex æquativè, quæ confusio foret! Ita si Cæsar appetat omnia ea, quæ accessere Mævio, quanta nasceretur perturbatio? Excipis: Vilia multa sunt, & indigna, quæ curet Deus. Respondeo: Vilia si sunt, cur tu tam incitato motu talia desideras, eorumque consecutionem sæpè animi servitute redimis? Deinde quæcunque Deus condere dignatus est, dignatur & tueri, & ut lubet, curare, & si non est injuria & probrum Dei vilissimas quasque res fecisse, multo minus probrum illius, factas regere, dicente Ambrosio, ut & Socrates asseruerit, se ne moveri quidem posse clam Deo apud Arrianum l. 1. c. 12. qui & ipse l. 2. c. 14. & l. 3. c. 24. disertè fatetur, cogitationes etiam ac motus animi patere Deo. Adderet Philosophus Christianus alia, quæ in compendio habet Magnus Dn. D. Scherzerus *System. Loc. VI. p. 128. seq.*

De Adiaphoris saltem consule oraculum s. c. XXII.
Vatem.

1. Adiaphora distinguebant Stoici in τὰ προσηγμένα καὶ τὰ ἀποπροσηγμένα hæc est, in præposita (promota, producta) & rejectanea. In illis concedebant aliquam ἀξίαν seu NB. æstimationem (Dignitatem enim dici aliqui vetant) vel per se vel propter usum, vel propter utrumque e. g. fama existimatio: Rejectaneorum verò erat ἀπυξία seu deæstimatio. Alias distributiones congescit ante Gatakerum in not. p. 138. Lipsius *Manuduct. l. 2. Diff. 23. seq.* Nos ex Salmasio in *Animadv. p. 43.* addimus dari certa genera indifferentium μήτε ὀρμῆς μήτε ἀφορμῆς ἀξία (ἢ κίνητικὰ) ut parem aut imparem esse capillorum in capite numerum. Item ad quæ detur ὀρμῆς aut ἀφορμῆς, dum aliquid habere volumus aut recusamus, non tamen istud magis, quàm illud, ut duos nummos pari formâ cufos. Illa indifferentia maximè huc quadrant & specialius propter hunc locum nuncupari possent adiaphora & ἀπαράλλακτα casu vel eventu, ubi quis nil referre suâ censet, sive hoc à vate & oraculo obtineat, sive non.

2. Sensus igitur præsentis Regulæ est: Eum, qui vatem seu oraculum consulit, sic accedere debere, ut si responsio non sit ad ad votum, perturbari tamen nolit, quod aliàs solenne sciscitanti-um crimen est.

3. Ast

3. Ast quia res tota gentilis est Num. XXII, 7. & severè prohibita divinationis usurpatio Levit. XIX, 31. Et XLVII, 13. Christianis commendatur modesta ἀπειθεῖα, si contingat eos videre vel audire talia, ex quibus plebs necessaria mali timorisque omina derivat, Jer. X, 2. Egregiè hanc rem deduxit Dn. D. Olearius *Disput. de Mantice Cometica.*

IX. Antequam verò Epictetus subjiciat Regulas, quæ constantiam aliarum virtutum, mansuetudinis, modestiæ &c. & magnam partem homileticarum dirigunt, utrumque Colon, quod præcesit & sequetur, velut Isthmo quodam conjungit:

c. XL.

Statue certam aliquam conversandi, vivendiq; Regulam.

1. Idem Sextus Chæronensis Plutarchi nepos docuit M. Antoninum, ut ipse fatetur l. 1. §. 9. aliosque vicissim monet l. 2. §. 7. 16.

2. Pertinent hæc certa Symbola, tanquam vagæ mentis adminicula, ad quæ tanquam ad lydium lapidem examinanda, quæ obveniunt singula. Etsi enim ad literam pauca dicant, in iis tamen virtualiter omnes virtutes tum pietati, tum probitati sacræ, tanquam anularum in catenâ commissuræ quædam coherent e. g. sit Symbolum cum Epicteto, quod ex Favorini relatione Gellius noct. Attic. l. 17. c. 19. recitat imitante M. Antonino l. 5. §. 33. Ἄνεχε καὶ ἀπέχε. Sustine & abstine; habebis in nuce Homerum. i. e. fundamentum veræ fortitudinis, temperantiæ, modestiæ, magnanimitatis, quin & amicitia. Cur enim Pomponius Atticus nullas inimicitias gessit? quia nec læsit quemquam (i. e. abstinuit) neque siquam injuriam acceperat, maluit ulcisci, quam oblivisci (i. e. sustinuit) juxta C. Nepotem c. X. in vitâ ejus. Similia passim prostant, ubi plus militant ea, quæ pertinent ad virtutes Ethicas aut Theologiæ moralis, quam ad virtutes politicas.

X. Nunc sequuntur Regulæ miscellaneæ, ubi virtutes homileticæ, quarum necessitatem summam experiuntur Philosophi, agmen ducunt & claudunt.

N In

¶ In congressibus ne sis loquax.

c. XLI.

Addimus aureum illud monitum, quod recensente Hieron. Wolfio Stobæus Epicteto tribuit: *Eum, cum quo differis, trifariam considera; vel ut præstantiorem, vel ut inferiorem, vel ut parem. Qui si te sit melior, audiendus, ei que parendum. Inferiori persuadendum, pari assentiendum. Sic nunquam in crimen contentionis incidet.*

¶ Neminem, nisi familiarem, tempori corrigere tentabis.

Addimus: & nisi sanum. Videtur enim ipse Epictetus l. i. c. 29. dissimulationem quandam hac in parte cum vulgo hominum agentibus non concedere tantum, sed & præcipere & probare.

¶ Rîsus nec fit multus, nec ob multa,

c. XLIII.

¶ Ne jura temerè,

c. XLIV.

¶ Convivia popularia aut externa s. fuge s. cave.

c. XLV.

¶ Quæ corpori serviunt, eatenus adhibe, ut servant animo.

c. XLVI.

¶ Temperantiæ Veneris stude.

c. XLVII.

¶ Calumnias de te ne refuta laboriosè coram aliis.

c. XLVIII.

¶ Spectaculis sic interesse, ut quæ fiunt, velis & tu fieri,

Coll. capp.

XIII. LXVII

¶ Ad recitationes rarò veni, aut tuere gravitatem, nemini molestus interim.

c. XLIX.

c. L.

¶ Acturus aliquid præsertim erga Proceres, sequere exemplum sapientioris.

c. LI.

Idem in genere consilium est Philippi Melanchthonis in dedicatione libri de anim: *Ut in mechanicis artibus nemo sit artifex, nisi exempla sui generis assidue aspiciens imitari ea conetur, ita in formando iudicio de doctrinis & vitæ regendæ consiliis omnino multum prodest eligere certa & probata exempla, quæ sequi & effingere velis. probata, inquit, ut absit κακοζηλία.* Nam juxta Horatium l. i. Ep. 19.

Decipit exemplar vitiis imitabile.

Similiter perstringit Lucianus in Dial. aliquem, qui noctu ad lucernam Epicteti ter mille drachmis emptam legit, ita similem se

D

Epicte-

Epicteto sapientiam adepturum sperans. Neminem hoc errore duci oportet, si quid Socrates aut Aristippus contra morem consuetudinemque civilem fecerint, locutivè sint, idem sibi arbitretur licere, differente sic Tullio l. 1. Offic. Ita igitur agere erga Proceres decet, eâ ratione, quam præfiniret vir prudens, quæ talis, ut generatim virtutem, moralem ex parte definit Aristoteles. Sequamur exempla, ut exempla regulæ, non ut regulam. Fac ut vir prudens ex præmeditato facturus fuisset. Cujus regulæ observationem ab Epicureis traditam laudat M. Antoninus l. 11. §. 26.

- c. LII. 5. Tarde admissus ne maledicas Magnatibus.
- c. LIII. D. Ne te vel tua ipse prædica.
- c. LIV. LV. 2. Parcus esto in jocos dicendis ac audiendis.
- c. LVI. O. Cogitationibus blandis ne inhære.
- c. LVII. V. Omnia fac apertè.

Abfit verò, ut cum Pseudo-Cynicis per hoc consensisse putandus sit noster in omnem pudoris profanationem in rebus certo tempore, loco &c. communi morationum opinione turpibus, sicut Cratetem Cynicum cum uxore Hipparchiâ in propatulo coiisse legimus. Ut ut enim in aliis Stoicis cum Cynismo communionem velut & affinitatem esse scribat *Laërtius l. 7. & Heiderus credat, Verecundiam Stoicis omnino vitium fuisse part. 2. Philos. Mor. p. 395.* tamen Zeno Cittieus ideo noluit Cynicorum sectæ suam profiteri nomen, quòd verecundiæ periculum esset, teste præter *Laërtium, Hornio Hist. Philos. l. 3. c. 16. p. 200. & Gatakerò Præloqu. in Antonin. & notis p. 154.* Quin & Epictetus noster non modò τὸ σεμνὸν colit vult à Philosopho juxta caput L. sed & apud Arrian. l. 4. c. 11. p. 44. sqq. vehementer inculcat munditiem corporis per argumenta suavissima, ac impuros ejusmodi Cynicos definit per homines, qui irâ Numinis agitati non aliud quicquam, nisi publicè velint ἀξιοποιεῖν. *Ibid. l. 3. c. 22. p. 299.* Hinc h. l. subjicitur sequens limitatio

- c. LVIII. D. Omnia fac ex decoro ac reverenter.

Est spinosa in textu obscuritas propter Propositionem disjunctivam (seu ut Stoici subtilitatum Logicarum amantissimi latè per Synecdochen vocabant) hypotheticam. Sensus simplicissimus videtur esse hic: Benè dico disjunctivè; Aut dies est aut nox est.

[Malè

Malè dico copulativè, Et dies & nox est. Ita in convivio (vitâ) benè cogito: Quæ apponentur, disjungam, ut alter capiat partem, partem ego. Malè cogito: quæ apponentur, omnia erunt mea. Videatur Simplicius in Comm. Huc facit, quod Epictetus omnia c. VII. Enchir. vult appeti μετ' ὑπεξαιρέσεως sive ut Gallica Metaphrasis habet, avec discretion. Expositionem verò Hieronymi Wolffii in notis; ac si monerentur adolescentes, vellent potius boni esse ratiocinatores officiorum, quàm argutiarum Dialecticarum, ne utiqvam hoc loco per omnia intendisse videtur Epictetus, qui id probabiliùs vult capite LXXVI. & clarissimè in dissertationibus passim. Rectius se habent sequentia Wolffii: Monet, quæ dialecticis rationibus probata fuerint, ea in cibo & potu, omnique vitâ usurpanda esse, & naturalem appetitum ita moderandum, ne vel civilem (convivalem) confociationem violemus, vel intemperantiâ nostrâ dedecus aliquod suscipiamus.

⚡ Respue personam, cui non es ferundo.

Coll. c.

Exceptiunculæ vicem meritò subeunt Tullii l. i. Offic. verba: Si aliquando necessitas nos ad ea detruferit, quæ nostri ingenii non erunt, omnis adhibenda erit cura, meditatio, diligentia, ut ea si non decorè, at quàm minimum indecorè facere possimus, nec tam est enitendum, ut bona, quæ nobis data non sunt, sequamur, quàm ut vitia fugiamus. Quales casûs in Rebus publicis frequentantur

XXXV. 9

ex parte

c. LXI.

c. LXI.

Ⓟ Age præmeditato & ex conscientia.

c. LX.

Ⓛ Corpus cura, quantum sufficit.

c. LXI.

Ⓜ Honora omnes, ut oportet.

c. LXII.

ut nec excedas, nec deficias. Alterutrum verò si eligendum veniat, tolerabilior est honorantis excessus, quàm defectus.

Ⓝ Ne rebus immorare corporis.

c. LXII.

XI. Inspergit Autor in medio Regulas aliquot Mansuetudinis & Modestiae.

Ⓝ Læsus ab aliquo, cogita id fieri debuisse.

c. LXIII.

Prolixius Christianorum solamen est cum Davide 2. Sam. XVI, 10. 11. Psalm. XXXIX, 10. quem egregiè sectatus est Joh. Hussus.

D 2

Nam

Nam cum ipsius Antagonista Michaël de Causis tota criminum, literarumque Papalium plaustra ad Constantiense Concilium 1415. adveheret, Hussus contra ad Bohemos rescripsit: *Deß acht ich nichts / denn ich weiß / daß ihn Gott wider mich gesandt hat.* Vide Joh. Stumpfium in Concil. Const. German. f. 15.

c. LXV. ⊃ Lædentem considera non ut lædit, sed ut tolerabilis est.

c. LXVI. ⊃ In uno felix, in altero felicior te non putes. Conf. XLIX.

c. LXVII. ⊃ De nemine judica præcipitanter. *Φαντασία enim est sæpe καταληπτική, sed judicium causæ, tanquam συγκατάθεσις δοξαστική est temerarium.* Salmasius in not. pag. 42.

XII. Statim verò relabitur ad prudentiam conversandi.

c. LXVIII. ⊃ In congressibus neminem videaris docere velle, nisi exemplo.

c. LXIX. ⊃ Patere te argui ignorantia in congressibus, sed scientiam ostende ex factis.

c. LXXI. ⊃ Fuge ostentationem.

In genere notandum, subinde hic allatas fuisse Regulas, quæ ad universale principium non quadrare videntur. Sed si omnis propemodum disciplina habet aliqua quasi extravagantia sive tutius loquendo remotiores à fonte rivulos: etiam hic in multis quærenda per gradus est analyseos series. Nam virtutum modus est Constantia, quæ constanter vult res in nostro arbitrio positas; Constantiæ filia est Gravitas Morum: Morum verò gravitas non permittit; ut vel species quædam ἀφιλοσοφίας actiones Philosophi comitetur, aut ab aliquo ad aliqualem instituti violationem minutissimâ dispositione inclinet. Inductionem reservamus ad conflictum.

XII. Neque verò Epilogum ab opusculo suo abesse voluit Autor, qui partim (etsi sub schemate

κρί-

νε/σεως) repetit, partim admonet, partim preca-
tur.

XIV. Pars Epilogi anacephalœotica eò redit.

Omniem utilitatem & damnum expecta à te ipso, c. LXXI.
quia Philosophi est, nec se, nec alium lauda- c. LXXII.
re, aut vituperare, sed averfationem & de-
siderium habere dependens à se.

1. Nec alium, inquit. Inde apud Arrianum l. 2. c. 3. laudat
Diogenem, qui cum quis ab eo peteret literas commendatitias, re-
spondit: *Te quidem esse hominem, cum primum viderit, agnoscat. An
verò bonus aut malus sis, Si quidem peritus est bonos & malos discernen-
di, cognoscat. Sin imperitus, non cognoscat, etiam si sexcenties scripsero.*
Ait vanus est hic rigor, cum haud raro hominis ad virtutem dispo-
sicio, vel certa quædam functio, indigeat testimonio. Sanè apud
multos gloria calcar habet, quos vel ipsæ laudes admonent, qua-
les esse vel fieri debeant. Interim commendanti adhibenda est
cautio Horatiana l. 1. E. 20. v. 76. 77.

*Qualem commendes, etiam atque etiam aspice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.*

Conf. Proverb. XXVI. 8. 2. Cor. VII, 14.

2. Ipse Epictetus limitat dupliciter apud Arrianum l. 4. c. 8.
ἀπὸ τῶν κοινῶν μέχρη μάθη τὸ δόγμα, ἀφ' ἧς πῆ ἐνασι.

XV. Pars Epilogi parænetica respicit tum ad
γνώσεις morales, tum ad πράξεις. Γνώσεις dirigit se-
quens:

Magis volve naturam rei scriptæ, & præcepta, c. LXXIII.
quàm verba.

1. Sive: annitere, ne sola verba intelligas, sed præcipuè sen-
sa, ut monet Ludovicus Vives *Introd. in Sap. n. 173.*

2. Nomina sunt juxta Platonem in Cratylo δηλώματα re-
rum ac proinde tantum abest, ut nominum in inquisitio abesse pos-
sit à philosophaturo per demonstrationem; ut potius nemo ne
Epicteti quidem Philosophiam intelligat, nisi qui Stoicam hujusce
philologiam delibavit.

3. Interim si in Autore morali explanando obveniat aliqua perplexitas, quæ vix tolli potest; acquiescendum est in applicatione præcepti, e. g. si cui displiceat expositio nostra simpliciter tradita ad c. LIIIX. Enchiridii, nec commodior afferri queat: mittamus, retineamus morale, quod erat perspicuum.

4. Sigillatim Epictetus meminit Chrysippi, qui Citiensis discipulus tanto polluit acumine, ut Chrysippæum acumen adagio transfiret ad summæ subtilitatis significationem, de quo dictum: *Ipsè ni fuisset, nec Stoa foret. Si Dii vellent Dialecticâ uti, uterentur Chrysippeâ.* Sed idem est, qui primus corrupisse & enervasse virilem, sectam spinosis quæstionibus judicatur à Lipsio *l. 1. Manud. Diff. XI.* exagitatus sæpe à Seneca contribuli *l. 1. de benefic. c. 3. 4.*

XVI. Parænesin, quatenus respicit ad praxes morales, absolvunt tria.

c. LXXIV. **N** Observa hæc velut leges, alii quid judicent, securus.

c. LXXV. **≡** Ne differ vivendi præcepta sequi.

≡ Sis practicus, non theoreticus saltim.

Longa Epicteti apud Arrianum *l. 2. c. 14.* querela est: *Stoicorum si quem habetis, ostendetis mihi. Ubi aut quomodo? Eorum quidem, qui ratiunculas Stoicas edisserant, ostendetis infinitos. Ostendite mihi aliquem, qui & egrotet & beatus sit: qui & in periculo sit & beatus: qui & moriatur & sit beatus. Ostendite Stoicum si informatum ostendere non potestis, at eum, qui formetur ostendite, qui ad ista propendeat. Hoc in me beneficium conferte. Ne invidete homini seni spectaculum, quo nunquam per omnem ætatem frui licuit.* Ejusmodi Philosophus is ipse vocavit *Φιλοσόφος ἀνὸς τὸ πρᾶττειν μέχρη τὸ λέγειν* Gell. *l. 17. c. 19.* Si igitur tum non extitit ullus consummatæ adeo sapientiæ sophus, cum tot numero eam profiterentur, multo minus hoc seculo invenietur, ubi ea tota ex libris adeo paucis haurienda est, regerit Salmasius *Præfat. ad Epict.*

XVII. Ratione precandi, quam præit suis Epictetus ex Cleanthe, Euripide & Socrate, qui melius edocemur, indigemus nulli. Interim quia & fatum immi-

immiscet precibus, pauca veniunt subjicienda de fato, quod juxta *Le Grand. Instit. Philos. Part. 2. Artic. 4. p. 148.* a fando dictum (unde apud Maphæum Vegium Landensem p. 28. describitur per jussa Divûm: à Stoicis definitur, quòd sit necessitas rerum omnium, actionumque, quam nulla vis rumpat.

XVIII. Equidem quantum Syrma absurditatum post se trahat durior fati Stoici assertio, in mensa solis positum. Nihilominus quid de Epicteto sentiendum sit quoad hoc, impræsentiarû disquiremus; ac adeò primùm præsupponimus, Stoicorû alios fuisse rigidiores, alios moderatiores, deinde Epictetum esse ex moderatioribus, & denique moderatioribus non placuisse paradoxon fati ex Heidero ipso *Philos. Mor. part. 2. p. 306. 392.* & Goclenio in *Lexic. Phil. p. 571.*

XIX. Legimus fati vocabulum in Epicteto, sed famoso sensu id statuere non potuit. Cur enim non negavit libertatem voluntatis? Cur dixit (minus piè), ne Jovem quidem superare posse institutum suum *Diss. l. 1. c. 2?* Cur omne damnum, omnemque utilitatem expectare vult à seipso *c. 71. Enchirid?* Cur dixit res quasdam in nostrâ potestate esse *c. 1. seq?* Cur de harum usu rationem Deo reddendam docuit apud Arrianum *l. 1. c. 12?* Sanè de nihilo istud non est. Unde, quod observat Salmasius *not. p. 19.* Græci Philosophi, cum disputant, an aliquid sit ἐφ' ἡμῶν, an verò omnia κατὰ τὴν εἰμαρμένην fiant, pro libero arbitrio contra fatum, aut pro fati inevitabili decreto contra libertatem arbitrii differunt. Nec objici potest locus capitis X. ubi eruditi esse ait, nec se, nec alium accusare, ac si tertius sit vel Deus vel fatum vel aliud, quod accusare liceat voluntate non reâ. Nam c. 1. statuitur saltem Idea perfecti Philosophi sic se ad rationis dictamen undiquaque attemperantis, ut nunquam erret iudicium vel voluntas ejus. Conf. Baconum de *Verulam. de Augm. Scient. l. 6. f. 163.* Connexionem argumenti agnovit Cicero l. de fato: qui introducunt causarum seriem sempiternam, hi mentem hominis voluntate libera spoliata necessitate fati devinciunt. Mitius ergo Plutarchus de *A. P. p. 52.* consilium

filium Jovis apud Homerum exponit: fato sc. eos cogi, ut indecore agant, perturbentur, & infortunium habeant, qui NB. affectibus obsecuti peccent. Deus verò, disertè ait M. Antoninus l. 2. §. 11. in hominis arbitrio posuit, ne in ea quæ vere mala sunt, incidat. coll. l. 3. §. 6. l. 6. §. 44. Platonis autem & ante hunc Theognidis opinio: neminem sponte malum esse, profligata alibi est.

XX. Porro si libertas voluntatis, quatenus præscinditur à spiritualibus, conceditur homini creaturæ: sane plus non erit in opere, quàm est in opifice, ac consequenter Deus fato subjici, ut sic, non poterit. Finge enim cum Seneca, Deum esse quidem omnium Conditorum ac Rectorem, sed ipsum sibi scripsisse fata, quæ sequatur, semper parere, semel jussisse: O quanta ἀνυρολογία fuerit! Benè vocas naturam Dei immutabilem, sed hæc immutabilitas libertati divinæ non opponitur. Quod enim nobis Lex Dei, hoc Deo ipsi est natura sua, vel voluntas divina cujus expressio Lex est, ut adeo tritum, illud: *Deus sibi ipse Lex est*, sano sensu explicatum arguat magis Dei perfectionem, quàm subjectionem. Idcirco quæquam Epictetus in assumptione voti Cleanthèi c. LXXVII. fatum Jovi Deo supremo adjungat, Jovem tamen fato præponit, & ipsius regimen precatur. Vanæ verò sunt preces, ubi precum locus non est, i. e. ubi omnia fiunt ex irrevocabili decreto. *Aut nihil possunt Dii, aut possunt. Si nihil possunt, cur precaris? Si possunt, cur non hoc potius ab iis proce poscis, nequid horum cupias, nequid de horum illo anxius sis, quàm ut horum quicquam vel eveniat vel non eveniat? siquidem omnino hominibus opem suam conferre possunt, etiam ad hæc possunt*, scitè Antoninus l. 9. §. 40. Sane videtur Epictetus voto superiori se subicere Jovi per agnitionem fati. Sit ita. Sed quomodo potuit agnoscere fatalem sui totius coactionem? ad se totum pertinebat voluntas, quàm simpliciter à fato vim pati asserere non potuit. Quod ergo? vult rerum extra se positarum ordinem. Deinde Epictetus credi vult, *Deum benè justeq; administrare universa c. 38.* Sed ad fatiregulam? inquis definiendo fatum cum Stoicis apud Laërtium l. 7. quod sit connexa rerum series, quàm mundus administratur. Jam quæritur, an hæc fati regula se ad Deum habeat, tanquam aliquod extraneum, aut tanquam aliquod internum? Si tanquam aliquod internum, ipse Deus est, quod admittit Seneca l. 2. *Quest. c. 45.*

Si

Si tanquam aliquod extraneum, sequentur absurditates infinitæ, quas detestabitur homo vel ethnicissimus. Tandem quomodo Epictetus res potuisset agnoscere, quæ incidunt c. XII. cum fatum ut sic casus non admittat. Ex quibus *junctim* consideratis patet, non potuisse moraliter Epictetum statuere fatum omnimodè coactivum, circa hypothesium suarum ruinam, & si conicere licet relictis minutiis, intellexisse providentiam. Et hæc probabilitas nasci potest ex disputationibus Arriani, ubi nihil de fato, prout ex communi æstimatur, exceptâ Cleanthis prece, memorat: plurimum de providentiâ. Deinde hujus sententiæ origo accersenda huc est. Contendebant enim cum Stoicis Epicuræi, an mundus regatur providentiâ Dei? Affirmabant Stoici, qui varias hostium objectiones retusuri firmiter, in extremam delapsi sunt sententiam, cujus medium erat plana providentiæ confirmatio. Auro contra est M. Antonini disjunctivum illud: *Aut providentia, aut atomi* l. 4. §. 3. l. 6. §. 10. l. 8. §. 17. l. 12. §. 24. Nisi, quod judicat Dn. Thomasius Schediasm. Histor. §. 37. p. 32. *Providentiam verbo profitentes, dum fatum illi appendunt, revera suffocant.*

XXI. De imperiorum fati Cratippi mentem supra vidimus th. 8. lit. 2. n. 2. De nece verò Darii Codomanni Curtius ita V, II, 10. *Æternâ constitutione crediderim, nexuque causarum latentium & multo ante destinatarum, suum quemque ordinem immutabili lege percurrere.* Ast palmaria decisio habetur Dan. X, 10. ubi irruptio Alexandri M. tribuitur fugæ Angeli, qui ex v. 13. regno Persico præerat. Quod attinet personam Darii, æquus judex est Loccenius, quem vide, si lubet, in notis. Sententia Epicteti de fatali vitæ termino exploranda venit ex supra dictis ad Th. IX. Partis generalis, ubi vult expectari vocationem Numinis ad obeundam mortem. Ergo reliqui qui fuere *αὐτόχρητες*, fecere contra vel præter vocationem Dei. Sed fatum neminem adiget, ut faciant contra vel præter vocationem Dei, quia ipse Deus fatentibus Stoicis fatum scripsit. Si inquam, præsumere se voluntatem Numinis ex submisso roboris viriumque defectu, quemadmodum Judæi beatos censent, qui, si videant, se in Dei probrum postea victuros, sibi eripiunt vitam. Præsumendam enim esse Dei voluntatem, nec eos deserere stationem juxta Dn. Pufend. de J. N. & G. l. 2. c. 5. §. 5. p. 204.

E

quæ-

quæro, cur Epicætetus non præsumpserit? cur non præsumpserint illi, voluisse Deum ipsos in mundo vivere, quia non vocavit? An ignorasse Deum suas molestias rati sunt? *Nunquid aliud mavis, quàm quod magis conducit? quid autem conducit magis, quàm quod Deo visum est?* quærit Arrianus l. 2. c. 7. Impatientia igitur fuit à Stoicis ipsis explosa de virtutis sufficienti felicitate immane quantum gloriantibus, sive minimùm affectata quædam singularitas, quicquid excipiant. De morte violentâ sufficiat bella historia de Zenone, qui cum servum suum ob furta videret ad furcam rapi, exclamavit: O perditæ, quid te ad hoc malum impulit? O stulte Philosophæ, respondit servus, quis me hoc fatum docuit? ubi Zeno rubore suffusus se clanculum subduxit, ut memorat Donaldsonus *Synops. l. 2. c. 8. p. 104.* Quàm vera & quàm dextrè translata sit historia, hîc non disquirimus. Certè Zenoni servum fuisse negat Seneca *Conf. ad Helvid. c. 12.* ut adeò de servo alieno intelligi eam coniciat Menagius *Observ. ad Laërt. l. 7. f. 160.* Plura Theologi ex professo disputant contra Calvinianos Stoicos, quàm in rem jucundum est Magnifici Dn. D. Scherzeri schema, quod *L. VI. Syst. Th. V. in Err. f. 129.* tetigit, & peculiari in Collegio deduxit. Nimirum Clepsydra naturalis sit terminus vitæ naturalis, qui mobilis est: terminus verò præternaturalis & immobilis sit Clepsydra cælestis. Hæc quo momento cursum absolvit suum, eo ipso clepsydra naturalis obedientialiter effluxit. Si igitur clepsydra cælestis conformis est naturali quoad evacuationem, sequitur mors naturalis: sin minùs, mors violenta est, ut cum fur suspenditur aut homo robustus in aquam delapsus suffocatur. An verò eadem fuerit Stoicorum, sententia, ut ex ipsorummet verbis opinatur Gatakerus *in Adnot. p. 57. & 430.* alii discutient tutius.

XXII. Tantum de fato. Nunc, ubi ad finem properat dissertatio, miramur merito, potuisse à gentilibus proficisci morum doctrinam tam erectam, pene dixerim superbam, ubi passim argumenta sunt generosa magis, quàm possibile. Virtutis perfectionem delineabant ab omni vitio prorsus immunem, ut Stoicos hoc nomine reprehendat Plutarchus *de A. P. p. 62.* eo quod in rebus ipsis, vitæque communi stylo Euripidéo sit aliqua virtutis nævorumque syncrasis. Quanta dixerint de excellentiâ hominis, instar habe ex Arria-

no

no l. 2. c. 8. Tu, homo, principale quiddam es, tu es ἄποσπασμα τῆς θεῆς, tu habes in te aliquam Dei partem. Cur ergo nobilitatem tuam ignoras? Cur nescis, unde veneris? Non meminisse vis, cum edis, qui sis, qui edas, & quem alas? Cum uxoris consuetudine uteris, qui sis, qui utaris? cum colloqueris, cum exerces, cum disputas? An nescis, te Deum alere, Deum exercere? Inde Philosophia ipsis vocabatur assimilatio Dei secundum possibile. Vide Boëthium Consoll. l. 1. Prof. IV. v. 8. & aliorum suffragia ap. Horn. Hist. Phil, l. 1. c. 1. p. 4. imò ipsam Arrianum l. 2. c. 14. 19. & c.

XXIII. Quamvis verò perfectum in re quaque intelligi debeat non nudâ contemplatione, sed inspecto, quid materia ferat, aut recuset, dicente Grotio *Apolog. c. 5.* conatus tamen ipse laudandus omninò est, nisi supervacaneæ monitiones esse debeant *Levit. XI, 45. XIX, 2. Matth. V, 43.* aut, si exemplis philosophicis acquiescendum, nisi apud Aristotelem vana simul sit virtutis heroicæ tractatio. prudenter verò insolentiora etiam præcepta formantur, quæ fortiter resistunt innatæ hominum propensione ad extenuanda cordis vitia, optimasque cum pudore doctrinas eliciunt. Verum est, tollere illum peccatum originis, qui summam boni perfectionem in vitâ exasciare intendat: interim adigēda continuò mens est ad meliora. Certè & Epictetus à posteriori in gerendis rebus sensit peccatum originis sibi aliàs ignotum, dum capite LXXII. seipsum voluit observari ab unoquoque, ut inimicum & insidiatorem. Et nisi is deprehendisset iudicii in visis examinandis perversitatem, ut dicat apud Stobæum *10m. 2. tit. 1.* Si vis bonus esse, crede prius te esse malum, aut nisi agnovisset affectûs vitæ hominis velut incorporatos, ut de voluptate speciatim loquitur Aristoteles 2. *Nicom. c. 2.* maximam partem præcepta affirmativè concepisset, quod nunc secus est. Igitur hoc principium: Stude similis esse Deo, præparandum erat regulis appetendi & averfandi, quæ si perceptæ fuerint ad similitudinem Dei concedebant (repete c. XXI. *Enchir.*) Hinc fluxit sæcunda illa Philosophiæ Definitio: Est ζωῆς ἀνθρωπίνης καὶ θεοῦ καὶ τελείου.

XXIV. Equidem alii suum faciunt Lipsii iudicium *Centur. 1. Ep. 33.* ac si priscorum nulli magis cum Christianâ pietate consentiant, quàm ii è Stoicâ domo: nihilo feciùs qui rem sine præiudiciis expendit, etiam nobis non demonstrantibus deprehendet in formando

ax
Tc
298

mando animi robore præ aliis utiliter legi Stoicos & ex his Epictetum. Felicitatem enim publicam non intendit noster, quod arguit Baconus de Verulamio *de Augm. scient. l. 7. c. 1. f. 190.* Neque verò ideo abjiciendus est, quia ejus complices Athenis contradixerunt S. Paulo *Actor. XVII, 18.* Aliàs nihil Philosophiæ antiquioris foret retinendum, cum vix præsumi possit major aliorum temperantia ac fides. Aliud autem est contradicere in mysteriis; aliud in rebus Naturæ perviis. Quemadmodum igitur Dn. Rachelius videns Ciceronem in officiis potissimum sequi Stoicos, egit, ut quæ Cicero (aliàs Eclecticus) ex Stoicorum hypothesebus inculcarat, ipse interpres ad genuina (Peripateticorum imprimis) principia reduceret. *Vid. ejus Præf. ad Lect. & notas passim.* Sic reliquantur duriora principia; Conclusiones verò applicentur legitimè. Accedat Christiana Epicrisis, & erit, quod miremur, quod dicamus:

SOLI DEO GLORIA.



ΕΠΙΜΕΤΡΑ.

Quæcunqve clarè & distinctè concipere valemus, ea vel ipso actu sunt, vel minimùm esse possunt.


Frustrâ à Scholasticis disputatum est: an mundus ab æterno creari potuerit.

Verus DEUS naturalis indaginis non est.

In vasorem in præsentissimo vitæ periculo occidere licet.

Contra Lumen Naturæ peccant Papicolæ, Laicos à Divini Verbi Lectione arcendo: atqve errorum seipfos suspectos faciunt, Librorum nostrorum usum suis interdicendo.

Extrema ad vallem Josaphat provocatio omittitur tutiùs, quàm exercetur.



lort

nc

S E

FLORE
EN

TAVI-
U.

U I

e effe

SPONDENS

